



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Meditat. prima & fundamentum reliquarum, in qua proponitur summarium earum rerum, quæ argumentum esse debent meditationum in singulis Mysterijs, quoad personæ patientis dignitatem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO I.

ET QUASI FVNDAMENTUM
 Passionis Christi Domini, in qua
 ponitur summa quadam siue compen-
 dium eorum, quæ in singulis Myste-
 riis meditationi subii-
 ciuntur.



VICQVOD in singulis pas-
 sionis Christi mysteriis est
 perpendendum, ad sex se-
 premve puncta præcipuè re-
 ferri potest: ad personam sci-
 licet quæ patitur hos cru-
 ciatus: quot illi, & quam graues fuerint: à qui-
 bus personis illos sit passus; pro quibus; quam ob
 causam: quo amore & affectu; & virtutes,
 quas, dum illos sustinuit, exercuit; quos etiam
 dolores beatissima eius mater simul patieba-
 tur: quæ omnia in hac meditatione generatim
 tantum attingentur, vt possint postea, ad sin-
 gula mysteria sigillatim applicari.

PUNCTVM I.

De persona, quæ patitur.

IN ipsa Christi Domini nostri persona, quæ
 tot sustinet cruciatus, tria præcipuè confi-

derari possunt; quæ efficacius inouent affectus compassionis, gratitudinis, amoris & imitationis.

I.

a Col. 2. 3.

b Ioan. 3. 34.

PRIMUM est innocentia & sanctitas huius Domini: adeo enim fuit innocens, ut nullam prorsus peccati maculam contraxerit; adeo sanctus, ut in omni genere sanctitatis plenus fuerit omnibus gratis & virtutibus; sapientissimus & prudentissimus, a in quo sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei absconditi: & b diuinus eius spiritus absq; mensura: ex quo apparet, quicquid perpeßus est, id absque vlla ipsius culpa fuisse, quamuis eius inimici, eam illi affingerent; & tanquam reum cruciarent. Quomodo ergo non dolebo, videns talem Dominum adeo innocentem, adeo sapientem & sanctum, talia pati! si centurio ille ac alij plurimi, qui in monte Caluario presentes fuerunt, percutiebant præ dolore pectora sua, cum viderent eum pati, quem iustum iudicabant: cur ego non percutio meum, cernens pati, non quemuis iustum, sed iustorum omnium supremum, & nulla ab ipso data occasione, cur tanta illi inferrentur! O cor meum petrarum omniũ durissimum; cur non præ dolore mediũ cõfringeris, siquidẽ ille scisse sunt & comminutæ, cum passa est petra hæc viuã, fons omnis gratiæ, & omnis sanctitatis exemplar!

II.

DEINDE considerabo omnipotentiam, & liberalitatem huius Domini, in benefaciendo omnibus; & dum omnium est vniuersalis benefactor: totam enim vitam suam expendit,

vt ait

ve ait S. Petrus, *c benefaciendo & sanādo omnes* c. Act. 10. 38.
oppressos à Diabolo, coecos illuminabat, munda-
dabat leprosos, ægrotos sanitati restituebat,
mortuos suscitabat: & præter hæc ipsis etiam
animabus benefaciebat, peccata illis condonā-
do, eas liberando ab inferno, coeli portas re-
ferando, admirandæ doctrinæ lumen illis &
caritatis ignem, suarum virtutum splendore
conferendo: Ex quo apparet, eum non solūm
absq; culpa, cruciatus & ignominias pertulif-
se; sed ob ea, quæ illum summa quiete & hono-
re dignū faciebant, quamobrem dixit S. Augu-
stinus Christum Dominum nostrum vixisse in
*mundo, *mira facientē & malapatientē, donec**
**suspenderetur in ligno:* quomodo ergo anima*
mea, non deficiis præ dolore, dum vides bene-
factorem hunc tuum, & totius mundi talia pa-
ti, qui benefaciens & commodum omnibus af-
ferens, malum recepit, & incommodum ab om-
nibus! O si mihi tanta contingeret gratia, vt
benefaciens, sicut Dominus meus, aliquod et-
iam malum & incommodum, eius amore pa-
terer! Non quæro ab hominibus præmium bo-
norū meorū operum: siquidem meus redēptor,
gravis ab eis cruciatus sustinuit propter sua.

In Psal. 49.

DENIQVE considerabo infinitam huius Do-
 mini caritatem, qua se omnibus tradidit, & v-
 num cum omnibus fecit, expendens: illum esse
 meum patrem, meum magistrum, medicū, re-
 demptorem, pastorem, meum creatorem, meā
 beatitatem, sponsum animæ meæ, Deum
 meum, & omnia meæ. Et pauld ante passionem

III.

luam, factu est mihi cibus & potus, ut in me ipsum ingrederetur, ut unus mecum fieret; quare merito ipsius dolores & poenas, tanquam meas suscipere debeo, & de illis compati: easque tanquam meas proprias sentire; siquidem ad eum meus est, qui illas patitur, & tanto me amore prosequitur. Si filius mortem parentis deflet, & sponsi mortem sponsa, & amicus amici prædilecti, quomodo ego non defleam passionem & mortem talis patris, talis sponsi, & talis amici! Iuvenit in hunc finem, quod octavo puncto dicitur.

PUNCTVM II.

De multitudine & atrocitate cruciatuum Christi.

MULTITUDO & atrocitas tormentorum, quæ Christus Dominus in passione sua pertulit ad duos in genere ordines reduci possunt. Alia enim fuerunt externa, quæ significantur per *a baptismum*, quo abluitur corpus exterius; alia interna, quæ exprimuntur haustu *a calicis*, qui ingreditur & penetrat interiora: hac enim duplici similitudine usus est Christus, ut illa insinuaret. Incipientes igitur à tormentis externis, discurrendum. **PRIMUM** est per omnia rerum genera, quæ materia sunt dolorum, & poenarum corporis, quibus cruciatus est Christus

vehe-

a Marc. 10.

38.

S Thom 3.

p. 9. 46. ar. 5

6. & 7.

I.

vehementer. Nam in facultatibus & rebus necessariis, ad tantam peruenit paupertatem & nuditatem, ut nudus publice moreretur in cruce, militibus eius vestimenta accipientibus & inter se diuidentibus. In honore, DEINDE, passus est innumeras irrisiones & subannationes; ita tractatus, atque si latro aliquis esset, malefactor & blasphemus in Deum; propter quod etiam in ipsum fuerunt blasphemi. TERTIO in fama multa passus est falsa testimonia, quod eius opinionem, & nomen bonum conabantur deturpare: in genere itaque virtutis & sanctitatis fuit contemptus, & habitus peccator, Samaritanus, & demonum habens, commotor plebis, vorax, & potator, & blasphemus, & porro, ut à Deo reprobatus, & condemnatus: quod maximum est dedecus inter omnia; de quo ipsemet Dominus sub persona Davidis dixit, *b estimatus sum cum descendentibus in lacum posuerunt me in lacu inferiori in tenebris, & in umbra mortis* PRAETEREA in genere sapientiae & scientiae contemptus fuit, & habitus tanquam idiotae sine literis, stultus & furiosus, imprudens & ignarus. IN genere potentiae & miraculorum, habitus est impostor & magus, & qui pactum cum Beelzebub & Satana haberet. ITEM in proprio corpore, maximos perpeffus est dolores, tum quod ex genere suo atrocissimi illi essent tum quod eius corporis constitutio esset delicatissima, ut propterea quemcunque dolorem aut laesionem corporis, praeter ceteris omnibus

b Psal. 87.
5. 8.

c Ioan. 7. 15.
20.

d Marc. 3. 21
22.

d Luc. 11. 15.

sentiret. DENIQVE etiam in suis *amicis*, & sibi coniunctis passus est, tum quod plurimi eorum ipsum deseruissent; tum quod eorum, qui presentes aderant, dolorem & ignominiam vehementer sentiret, præcipue vero Sanctissimæ matris suæ. O Redemptor liberalissime. quàm abuncè debita nostra tuis pœnis exsoluis? quia enim omnia, quæcunque sunt in mundo, nostræ concupiscentiæ voluptatis carnis, & superbiæ fuerunt alimentum, tu vis in omnibus paupertatem, cruciatum, & humiliationem sustinere: sint mihi ex nunc eadem, instrumenta, ad tibi seruiendum; sicut fuerunt hæcenus ad offendendum. O anima mea, confer diuinæ huius personæ excellentias, cum ignominijs & doloribus, quos perfert; vt erubeas, ob tuam superbiam & sensualitatem, & te ipsum excites, ad aliquid patiendum, quod illum imiteris.

II.

DEINDE, possumus discurrere, per quinque ipsius CHRISTI Domini sensus; perpendentes, quanta in singulis sit passus. PRIMVM enim eius *oculi* affligebantur, videntes inimicorum vultus, motus, quibus ipsum iridebant, & lacrymas & singultus suorum amicorum; iidem vero *oculi* deturpati sunt, tum sputis inimicorum, tum guttis sanguinis defluentis ex proprio capite, imò & feruentibus lacrymis, quas ipse per eos fundebat. *Aures* passæ sunt, cum audirent multas & graues blasphemias, iniurias, & falsa testimonia, & horrendas ini-

mico

micorum suorum aduersum se accusationes. *Odoratus* passus est foetorem grauissimum in monte Caluario, vbi fuit crucifixus. *Gustatus* horrenda sibi fuit cruciatus; cuius tamen vim vt sedarent hostes, fel & acetum ei obtulerunt, quibus amplius cruciaretur. *Tactus* grauissimos pertulit dolores ex flagellis, spinis, & clavis, qui eius corpus transfixerunt.

O dulcissimi & amantissimi IESU sensus, dignissimi, qui rebus omnibus vobis gratis, quæ in terra sunt, recreamini! quomodo contra amarissimis, & ingentem dolorem adferentibus rebus huius vitæ cruciamini! ô si mei sensus conformarentur sensibus Domini mei, easdem sustinentes pœnas, quandoquidem ab eis tot processerunt culpæ!

III.

TERTIO licet per omnia membra, præcipuasque corporis Christi Domini partes discurre, in quibus exquisitos dolores & cruciatus sustinuit. Nam *caput* spinis fuit punctum, arundine verò percussum; *capelli* ipsaque *barba* euulsa; *gena* colaphis percussa; *brachia* ipsa ita luxata, vt ossa dinumerari possent; *agiles* fortissimè funibus ligatæ *manus*, & pedes clavis perforati; *dorsum* & reliquum corpus crudelibus flagellis vulnerata: & quoniam vulnera partibus ad eò sensibilibus infligebantur, ingentes adferebant dolores.

O corpus delicatissimum, quàm meritò *e Isai. 1. 6.* illud potest de te dici, e à planta pedis vsq, ad

ver-

verticem non est in eo sanitas; vulnus & lixor,
& plagatumens, quæ ingentes adferebant do-
lores. O quâto maiori iure fuisset corpus meū
in omnibus suis partibus & sensibus tortum,
siquidem per eos omnes, & ab eis innumera
peccata fluxerunt! sana, ô bone IESU, corpo-
ris tui vulneribus, animæ meæ vulnera; ac tui
corporis doloribus, ab spiritus mei malis me
libera, Amen.

IV. DENIQUE considerandæ sunt internæ Chri-
sti Domini afflictiones & dolores, qui ipsos ex-
ternos comitabantur, qui & plurimi & graues
fuerunt, in ijs omnibus, quibus purissima Chri-
sti saluatoris anima affici potuit, absque im-
perfectione tamen; quales fuerunt interna
Diuinitatis desertio; sensibilem cordis con-
solationum suspensio, tristitiæ voluntatis
vehementes, propter iniurias in Deum factas,
& propter hominum condemnationem; ti-
mores, tœdia, & agoniz horrendæ; quarum
testis fuit sanguineus ille sudor, de quo circa
mysteria, quæ in horto sunt gesta, dicemus.
Denique quamuis corporis dolores fuerint
terribiles, grauiores tamen illi erant, quibus
spiritus afficiebatur. Nam in parte interna
tantam sumebat pœnam, quantam volebat; &
quoniam plurimum amabat, volebat, pœnam
esse maximam, propter maius eorum bonum,
quos tantoperè diligebat. O dulcis Redem-
ptor, nunc deprehendo, quàm meritò te Isai-
as f *Virum dolorum & scientem infirmitatem*
appellauerit; siquidem vndique te video do-

f Isai. 53. 3.

lori.

lotibus & afflictionibus circumdatum: *gaqua* *g* Psal. 68.
siquidem tribulationum intraverunt vsque ad *1.2.*
animam tuam; & veniens in altitudinem ma
ris, tempestas demersit te. Exterius h *te baptis* h Luc. 12.
mus sanguinis, ingentes adferens dolores, *30.*
coarctavit; interius i *calix* tristitiæ valdè a- *i Marc. 10.*
marus, te grauissimè affecit. Concede mi *38.*
hi Domine in his omnibus pœnis, me tibi ita *k 1. Cor. 7.*
conformari, vt & k *corpore & spiritu tibi pla* *34.*
ceam, simque in vtroque mundus absque omni
 macula.

PUNCTVM III.

De persecutoribus & inimicis, qui Chri-
stum Dominum nostrum in sua pas-
sione cruciarunt.

I N hoc puncto, considerata imprimis
 sunt multitudo & circumstantiæ illorum,
 qui aduersus Christum Dominum coniu-
 rarunt, vt illum contemnerent, & in passione
 cruciarent: Nam concurrerunt Reges, Iudices
 Gubernatores, Summi Pontifices, Sacerdotes,
 Scribæ, & Pharisei, (qui erant illius tempo-
 ris Religiosi) Aulici, Milites, Gentiles, & Iu-
 dæi; nec defuit inter discipulos proprios, qui
 ipsum persequeretur. Rex Herodes & eius cu-
 ria illum irrident, Iudex Pilatus condemnat,
 Annas & Caiphas summi Sacerdotes repro-
 bant, Scribæ & Pharisei accusant, Milites cõ-
 prehendunt & subsannant, Carnifices flagel-
 lant,

I.

lant, spinis coronant, & crucifigunt; Plebs in-
condita clamat contra illum, petens, vt mo-
riatur, vnus discipulorum illum tradit, alter
negat, omnes deserunt. Quibus illud est ad-
dendum, quod hos omnes Christus, innume-
ris beneficijs obstrinxerat, vt ipsum amarent,
honore afficerent atque seruirent. Nam præ-
ter generalia beneficia, quæ tanquam Deus,
& communis redemptor, omnibus contule-
rat; multis particularibus populum illum
nominatim affecerat, doctrinam suam illum
docendo; plurima miracula in eorum con-
spectu edendo; illorum morbos & filiorum,
seruorum & amicorum sanando, pascendo il-
los in deserto insigni edito miraculo: propter
quod regem illum facere volebant, eundem-
que in sua ciuitate, maiori pompa & appa-
tu exceperunt, quam fuerit vnquam terrenus
vllus princeps exceptus. Hi igitur omnes sunt
mutati, & conuersi aduersus Deum suum, &
redemptorem, aduersus infinitum suum be-
nefactorem, iniurijs eum afficiendo, torquen-
do, & deniq; occidendo eum, à quo tanta bona
acceperant; & quem paulò antè summo ho-
nore dignum iudicabant, cuique tanquam vitæ
autori acclamabant. O dulcis IESU, rex re-
gum, iudex viuorum & mortuorum, Pontifex
summe ac supreme Sacerdos, fons scientiæ &
sanctitatis, lapisque angularis gentilis &
Iudaici populi; quomodo nunc persecutio-
nem pateris à Regibus & Iudicibus terrenis,
à Sacerdotibus & sapientibus terræ, & ab
omni-

omnibus populis & nationibus mundi ! Non miror, quod qui te non nouerunt, persequantur; sed quid dicam, cum videam, eosdem, qui te bene nouerunt, & mille nominibus ad tibi seruiendum tenebantur, tanto te odio prosequi. Utinam te nunquam fuisset meis peccatis persecutus ! ne quaeso patiaris Domine, ut te amplius persequar, sed fidelibus meis seruijs, innumeris tuis beneficijs respondeam.

DEINDE perpendenda est crudelitas & feritas istorum inimicorum & persecutorum Christi; quia enim ipsi erant superbi, ambitiosi, cupidi, hypocritæ, & simulators; erant etiam hostes veritatis & magistris, qui illam docebat; ac medici, qui mortifera eorum vulnera sanare cupiebat. Erant præterea animi perturbatione, odio, rancore, & inuidia aduersus Christum pleni, eò quod ipsorum vitia ille reprehenderet; vanosque eorum honores, sapientiæ suæ, sanctitatis & miraculorum autoritate obscuraret: ideoque illum è medio sublatum cupiebant, alij ob malitiam propriam, alij ut suas iniurias uiscerentur, alij ob timorem ne à Cæsaris aut plebis gratia exciderent, alij ex ignorantia, eò quod, quis ille esset, non satis cognoscerent, alij ob falsum zelum religionis & publici boni; qui zelus, si sit cum inuidia coniuuctus, crudelitatem extimulat, & ipsis feris reddit efferaciorem. O mitissime agne, iure merito clamas, *a circumdederunt me vituli mali,*

II.

a Psal. 21.
13. 17.

tan

tauri pingues obsederunt me, circumdederunt me canes multi, cōsiliū malignantium obsedit me: hostes enim tui leonum instar, & aliarum ferarum more, te circumdant, suis rugitibus terrēt, vnguibus lacerant, dentibus mordent, cornibus huc illuc vertunt, ab vno tribunali ad aliud trahentes, tanta crudelitate te percipientes, atque si non homo, sed statua aut simulacrum hominis esses, vermīs & despectio plebis. O si licuisset à diabolicis illis furijs te eripere: sed charitas tua non permittit, sed obstitit omnipotentiae tuae, (quae facile eripuisset) quod in medio tantae feritatis, magis resplenderent excelsae tuae virtutes.

III.

b Luc. 22. 53.

TERTIO perpendam, praecipuos Christi persecutores, fuisse *b potestates tenebrarum infernalium*, hoc est daemones, qui summè illum oderant, eò quod ex corporibus ipsos expelleret; animas verò ex ipsorum potestate eriperet; regnumque ipsorum, hoc est regnum peccati destrueret: ideoque, ut se se vlciscerentur, hominum feritatem urgebant, ut illū persequerentur: *c Diabolus. n. immisit in cor Iudae: ut traderet eum;* milites instruxit, ut varias

c Ioan. 13. 2.

irrisiones & iniurias in illum excogitarent; in Iudæis accendebat ignem irae, quā ardebant: & quoniam licentia & facultas illi, ad hæc facta non fuit cum ea limitatione, quā facta fuit, cum permissus fuit persequi S. Iob, *d veruntamen animam illius serua,* non hic fuit contentus Christum Dominum in sterquilinum projicere, vulneribus plenum, sed vitā ipsa hor-

d Iob. 2. 6.

rendis

rendis tormentis illum priuauit. *e O IESV, sacerdos magne, quid tibi cum Satana, cui à dextris tuis stanti tanta potestas, in sacrum tuum corpus daretur? O amor insatiabilis, cui non satis fuit ab hominibus cruciari, nisi iudem a dæmonibus ad id faciendum vrgerentur, & vt in se cruciatus illos suscipiens, ab illis me liberaret, quos iudem mihi ob mea peccata intulissent.*

DENIQUE perpendam, qua ratione huius Domini dolores & pœnæ creuerint; nam sapientissimæ animæ suæ oculis, inimicorū suorum rabiem penetrabat, non solum ex operibus & signis externis, sicut cæteri homines; sed quia verè ad ipsos: ù corda penetrans aperte videbat diabolica illorum vota ad ipsum cruciandum, & ignominia afficiendum, multò plus quàm exteriùs appareret: quamuis enim multi fuerint, grauesque cruciatus, quos illi attulerunt, multò tamen plures, grauioreseq; si licuisset, intulissent. *O IESV sapientissime, ipsa tua scientia tuum auget laborem & dolorem, nihil tamen, te de amore tuo remittente, quia plenius est cor tuum amore aduersus tuos inimicos, vt ipsorum commodi intuitu patiaris; quàm illorum corda sint odio plena, in tuum incommodum. Reple me Domine inflammata tua charitate, vt inuitam tuam imiter patientiam.*
Amen.

I V.

f Eccl. 1. 18.

PUNCTVM IV.

De ijs, in quorum commodum, & quas ob causas Christus patitur.

I.

CONSIDERANDVM primò est. Christum Saluatorem nostrum, omnes illos contemptus & dolores perpeffum esse, peccata hominum præteritorum, præsentium & futurorum, debitaque omnium, pretio sanguinis sui, tanto dolore & contemptu effusi, exsoluisse, Ex quo deducere possumus particulares aliquas supremæ huius passionis causas; vt videlicet propugnaret honorem patris sui, qui tot iniuriis hominum fuerat offensus; & vt iustissimam eius contra homines indignationem placaret; eosque patri suo, à culpis peccatisque, quas propter eas erant promeriti, siue temporalibus, siue æternis expiatis reconciliaret; & vt illis promeretur & consequeretur gratiam, & caritatem, ac virtutes omnes, mediaque necessaria & accommodata, quibus iustificationem & perfectionem suam assequerentur; ac denique vt cæli portas, illis reseraret; & ad gloriam & vitam æternam eosdem introduceret, impedimentis omnibus, quæ obstare poterant, sublati. Ex quo fit, quia hominum peccata non solum erant innumera; sed, quòd contra Deum infinitum admissa essent, etiam grauitate erant infinita, necessarium fuisse; vt qui huiusmodi cruciatus pro illis offerret, ad exsoluendum ex æqualitate iustitiæ

tan-

tantum illud debitum, infinitæ esset excellen-
 tiæ. Et quamvis hoc nomine, quilibet Chri-
 sti dolor, & quælibet gutta eius sanguinis
 ad id suffecisset, ratione offerentis, qui erat
 persona infinita; voluit ille tamen tantam
 dolorum multitudinem pati, ut eius a redem-
 ptio magis esset copiosa; & agnoscerent homi-
 nes infinitam suorum peccatorum gravita-
 tem. Ut enim ait S. Bernardus, *Ex considera-
 tione remedij, periculi mei aestimo magnitudi-
 nem. Agnosce, ait, homo, quàm gravia illa sunt
 vulnera, pro quibus necesse fuit Christum vulne-
 rari. Nisi illa lethalia fuissent vulnera, & qui-
 dem aeterna morte digna, nunquam Dei filius,
 pro eorum remedio noceretur.*

a Psal. 129.
7.

Serm. 3. de
Natiuit.

CERNEBAT redemptor noster, totum
 generis humani corpus mysticum, à planta
 pedis vsque ad verticem capitis, innumeris
 culpis sauciatum; cui ut mederetur, voluit
 etiam suum corpus, à planta pedis vsque ad
 verticem capitis, vulneribus innumeris vul-
 nerari, spiritum verò grauissimis ignomi-
 nijs affligi; ut antidotum, quod ipse adfere-
 bat, vulnere cui applicandum erat, esset pro-
 portionatum. Ob inordinatas diuitiarum
 cupiditates nostras, manes tu, Domine, in cru-
 ce nudatus; ob superbiam hominum erudi-
 torum, stultus iudicaris & ignarus; ob eo-
 rum vanitatem, qui sanctos se esse existimant,
 tu irrideris tanquam peccator; ob rumorem
 potentium, tu tanquam miser, & ad om-
 nia debilis tractaris, ob sensualium hominum

voluptates, tu cruciatibus oneraris; quinque tuorum sensuum dolores, excessus solvunt sensuum nostrorum; caput tuum coronatur spinis, in penam nostrarum ambitionum; lingua tua felle & aceto affligitur, ob nostras voracitates & ebrietates; manus & pedes tui clavis perforantur, in poenam iniquorum operum nostrorum & gressuum deteriorum; scapulæ tuæ flagellis arantur, propter furta & scelera, quæ nos super nostras collocamus; humeri tui, crucis onere opprimuntur, eò quòd nostri, onus tuæ legis excusserunt. O Redemptor liberalissime, cuius redemptio ad eò est copiosa, ut, si mundi essent infiniti, omnes posset redimere: applica Domine, eandem ipsam redemptionem huic vnico mundo, quem condidisti, ut omnes ea fruantur & saluentur: Amen.

II.

PERPENDAM deinde, CHRISTVM Dominum, omnes illos cruciatus, pro suis inimicis, à quibus eos accipiebat, sustinuisse; sanguinemque suum pretiosum effudisse, ut etiam peccata illa deleteret, quæ ipsi persecutores, dum illum effunderent, mittebant: cuius certum testimonium est, quòd pendens in cruce, pro eis orauerit, eosque excusauerit, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Estque eius charitas ad eò immensa, ut passionem suam offerat, ut eandem charitatem illis impertiatur, qui illum oderunt; ut honorem habeant illi, qui auferunt ipsi honorem; ut eos donet libertate, qui ipsum comprehendunt,

dunt, vt quietem illis adferat, qui ipsum tantoperè affligunt; & vt æternam eis det vitam, qui crudelem ipsi inferunt mortē. Sit benedicta, Saluator mi, immensa ista tua charitas, & gloria sit infinita isti tuæ misericordiæ! Vtinam inimici tui illam nouissent! erubuissent procul dubio de tanta sua ingratitude; & ex inimicis amici facti, non cessassent te laudare, tibiq; maiori amore seruire, quàm antea persequerentur rancore. Aperi, Domini, oculos eorum, qui te nunc persequuntur, vt à tali persecutione abstinentes, serio de multis tibi exhibendis obsequijs cogitent, & agant.

III.

TERTIO exactiore attentione considerandum est, ita Christum Dominum, omnes illos contemptus & dolores, pro omnibus mundi hominibus fuisse perpeffum; vt specialiter eosdem pro singulis illorum, & pateretur & offerret: atque si vnus solus fuisset in mundo, quem in memoria & corde suo præsentem haberet, eiusque peccata, miseriae & necessitates ita perpenderet, atque si nullæ essent aliæ, quas aspiceret, aut pro quibus remedium illud offerret, ita vt dicere mihi liceat, quod Apostolus de seipso dixit, loquens de ipso Christo Domino, *c qui dilexit me, & Gal. 2. 20. tradidit semetipsum pro me.* O anima mea, si te in corde tui dulcis IESU vidisses, cum tales dolores pro te patiebatur: O si intellexisses amorem & sollicitudinē, qua illos pro tuis peccatis obrulit; procul dubio præ dolore defecisses, agnoscens te illius dolorum causam

extitisse; & exarsisses amore, quo te in mediis tot doloribus, ita videres ab eo amari. Plange ergò nunc tua peccata, pro quibus tanta patitur ille, qui tantoperè te amavit; redama veidò omnibus tuis viribus eum, qui pro te tanta passus est, & ita illum lauda & glorifica, atque si pro te sola, omnia illa passus esset, Amen.

PUNCTVM V.

De amore & affectu, quo Christus Dominus patiebatur.

PVNCTVM hoc tenerrimum est, quod & condimenti loco nobis esse debet, ad gustum & saporem spiritualem inueniendum in omnibus, quæ de Christi Passione meditabimur; perpendentes magnitudinem & immensitatem amoris illius, quo Dominus hic noster omnes suos cruciatus tolerabat, si quidem nulla vi aut necessitate, sed (vt Isaias dixit) a *quia ipse voluit*, & sponte sua, quia ipse bonus erat & misericors; & vt patri suo æterno placeret, omnibusque hominibus benefaceret, propensus; & vt diuitias, infinitosque charitatis, misericordiae, ac liberalitatis Dei, erga suas creaturas thesauros manifestaret. Hinc proueniebat, vt, quoniam tantopere æternum suum patrem amabat, eiusque intuitu etiam homines, eodem ipso immenso amore toleraret, quicquid pro illis pateretur; id totum magna sua voluptate, & consolatione

a Isai. 57. 7.
Oblatus est,
quia ipse
voluit.

ample-

amplectens, propter illorum bonum. O si daretur posse inuestigare & b comprehendere, ^{b Ephe. 3. 19.} qua sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam super eminentem scientia charitatem Christi IESU! O si daretur ingredi in cor illud Christi inflammatum, & videre fornacem illam ignis infiniti in eo ardentis, & liquefieri eodem igne, ut inde amore plenus exiens, amare eum possem, ut sum ab ipso amatus; & amore pro eo pati, qui tanto pro me patitur amore. Ex quo interno amore talia signa & indicia exterius procedebant, ut sufficerent, cor ipsa glacie frigidius liquefacere; & etiam si rupe durius esset, illud emollire.

I.

IN PRIMIS enim signum, quod labores amentur, est desiderare ut cito illi adueniant, cum voluptate de eis loqui, eorum memoriam frequenter renouare, magno gaudio & læticia, locum illum adire, in quo sunt tolerandi; grauius ferre, quod illi retardentur, eos denique reprehendere, qui ne labores veniant, impediunt; eosque suos aduersarios & ipsum Satanam compellare. Hæc omnia faciebat dulcis IESUS, ut qui hoc ipsum quod est pati, vehementer arderet, ut in sequentibus apparebit, quam ob causam discipulis suis dixit, ^{c Luc. 12. 50.} *non habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur!* O dilecte mi, si baptismus hic fuisset aque non mirarer, grauem tibi esse eius moram & dilationem; sed cum sit baptismus sanguinis, & sanguinis quidem ex tuis venis, ingeri

dolore profluentis, quomodo tanta sollicitudine illum desideras! ò si mihi tanta fames, tantumque desiderium dolores tolerandi daretur, vt illis potius, quàm ipsa quiete delectarer.

II. SED quoniam multi, antequam in afflictiones incidant, iactant se illas optare, quas tamen, cum accedunt horrent & fugiunt, est aliud certius indicium amoris & affectus erga huiusmodi afflictiones, si quis eas ipsas aggrediatur & illis obuiet, nec fugiat aut se subtrahat etiam cum possit; si non se excuset, nec se ipsum tueatur; nec pro sui defensione aliquid afferat, quod se ab eis expediat, etiam cum ad id ab aliis prouocatur, aut vrgetur: si se ipsum, absque resistentia vlla. paratum offerat ad sustinendum, quicquid eius tortores inferre voluerint, idque ita mansuetè, vt tortores animum non abiiciant aut desistant à torquendo, etiam post multos illatos cruciatus. Quæ omnia & multò plura, Christus Dominus ostendit in sua passione; profectus est enim ad hortum, vbi erat comprehendendus, cum potuisset patrem suum orare, vt in sui defensionem mitteret Angelorum Legionem, sed id non fecit. & cum hostes ad ipsum comprehendendum iam accessissent, & ad vnicum ipsius verbum fuissent in terram prostrati, permisit tamen surgere, & ipse comprehendere, faciem suam alapis, corpus flagellis obtulit, nec faciem auertit, nec corpus vlli dolori subtraxit, nullum coram Herode miraculum edere voluit, quod ab ipso protegeretur; nec pro sua

defen-

defensione, aliquid apud Pilatum adferre, vt
 liber dimitteretur; quamuis ad id Pilatus eum
 prouocaret, de eius silentio valdè admirans:
 ac denique in iustissimam eius sententiam ac-
 ceptans, crucem suam iucundè amplexatus
 est, ac postea super eam se se extendens, per-
 misit se durissimis ferreis clauis configi, quia
 amoris clavis prius erat magis confixus! O d *Cant. 8. 7.*
amorem infinitum! ò ignem immensum! quæ
aqua multa laborum & afflictionum adedò in-
gentium, exstinguere non potuerunt, sed potiùs
 accenderunt! eodem, quæso, amore, me Do-
 mine accende; & eodem me igne inflamma.

III.

SED vltèrius adhuc immensus IESV amor
 progressus est, & ampliora immensitatis suæ
 iudicia edidit; vt qui non satiatus iis, quæ
 passus est, infinitè plura pati concupiuerit.
 Nam attendens ingentia inimicorum deside-
 ria, nouos inueniendi eum cruciandi modos;
 ipse charitatem suam dilatans, non solùm,
 quos inferebant cruciatus, libenter sustine-
 bat, sed paratum etiam se ostendit, ad perfe-
 rendos quoscunque illi vellent inferre, et-
 iam incomparabiliter maiores; si ad nostram
 reparationem fuisset necessarium. O ignis in-
 finite, qui semper ardes, *e nec dicis vnquam*
sufficit, quid tibi pro tanto hoc patiendi desi-
 derio retribuam? plurimum certè debeo
 propter plurima, quæ pro me sustinuiisti; sed
 multò plura fateor me debere propter ea, quæ
 pati desiderasti, si id fuisset ad nostram re-
 demptionem necessarium. Si enim quinque

e Prover. 36.
 10.

millia flagella sustinuiſti, nō deerat tibi amor ad alia quinqueſ millia millium etiam crudeliora ſuſtinenda : ſi caput tuum ſeptuaginta duabus ſpinis fuit tranſfixum, paratus erat amor tuus, vt ſeptuagies millies tranſfigi ſe pateretur : ſi tres horas in cruce, ingentibus doloribus, pependiſti, paratus eras ad mille horas etiam grauioribus cruciatibus pendere; plus tu cupiebas torqueri, quam tui vellent hoſtes cruciare; plus tu amaſti tolerare dolores, quam omnes huius mundi homines ab eis cupiant liberari, & requieſcere. O ſi quis mihi amorem daret adeò inſatiabilem, vt nunquam pari ſatiaretur pro eo, qui tanta pro me, & inſatiabili amore perpeſſus eſt. Magnum huius amoris teſtimonium fuit illud, quod in horto fuit geſtum, vbi idem hic Dominus, carnificum cruciatus præueniens, ſpontè ſua ſuis doloribus dedit initium, eiufmodi doloris indicis, vt ſanguinem ſudaret, ſicut ſuo loco erit perpendendum.

PUNCTVM VI.

De heroicis virtutibus, quas in ſua paſſione Chriſtus exercuit.

I.

CONSIDERANDVM imprimis eſt, Chriſtum Dominum in paſſione ſua, omnes præcipuas Chriſtianæ & perfectæ vitæ virtutes exercuiſſe, & quidem ſingulas, quantum ad externos actus, in gradu heroico: multoq; præſtantiore in actibus internis,

qui

qui externos comitabantur. Cuius ea fuit PRIMA causa quod ipse venisset, ut magister esset, exemplarq; virtutum. Hinc tempore passionis voluit omnium velut epilogum facere, & singulare earum a *exemplum nobis prebere*, a *Iob. 13. 15.*
 sicut ipse dixit, *postquam discipulorum pedes lavisset.* SECUNDA causa fuit, quia sua passione virtutes omnes nobis promeriturus, & imitaturus, merita nostra actuali earum exercitationi inniti voluit. TERTIA ut earatione, virtutū ipsarū honorem & præstantiam tueretur, quæ valde iacebant, & nullam partem in mundo habebant opinionē, illæ præcipuæ, quæ mundi contemptum docent. QUARTA, ut testamento, & ultima sua voluntate, ipsa morte confirmata: excellentes omnium virtutum actiones, nobis relinqueret: nam ut in ultimo suo sermone dixit, a *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, sic dicere potuit, imò ipso opere dixit, novum quoddam mandatum do vobis, ut humilietis vos, sicut ego me humiliavi, & ut obediat is ac sustineatis, sicut ego obediui & sustinui. O dulcis magister doce me has virtutes exercere, & sequi exemplum, quod mihi dedisti, ut & ego pro modulo meo, earundem virtutum honorem & opinionem, ad tuam gloriam propugnem, Amen.

DEINDE perpendā multitudinē & præstantiam harū virtutū, discurrendo per 8. heroicis a *cto*, quos Christ^o Domin^o in suo sermone, quæ in mōte habuit beatitudines appellavit, quasq; ipse in sua passione valde eminenter exercuit.

Nam

I.

2.

3.

4.

a *Ioan. 13. 34. & 15. 12.*

II.

Octo beatitudines.

1. Nam primo exercuit *Paupertatem spiritus*, dum rebus omnibus, etiam propriis vestimentis renunciauit, nudus omnino in cruce manens. Cum paupertate verò simul exercuit *Humilitatem*, quæ in ea includitur, dum vanos omnes honores, mundi que pompas calcavit, amplexus verò est omne genus opprobriorum, ut supra retulimus. Exercuit etiam heroicam *Mansuetudinem*, in medio tot ferarum, quæ ipsum mordebant & lacerabant; ipse verò tanquam agnus nec loquebatur, nec se defendebat, aut indignabatur; tantam verò simul ostendit *Fortitudinem*, atque si esset adamas, in omnibus, quæ patiebatur. *Fleuit* amarè pro nostris peccatis *c clamore valido & lacrymis, preces & supplicationes offerens*, etiam vsque ad *d sanguinem*, quem per omnes delicatissimi sui corporis poros *sudando* effudit. *Esurivit* insatiabiliter iusticiam, quia nunquam satiatus fuit in faciendis bonis, nec in perferendis malis, ut nos iustificaret, & sanctitatis exemplar præberet: & hanc ob causam in cruce pendens dixit, *Sitio*. Fuit etiam singularis in *Misericordia* erga miseros, distribuendo illis, quicquid haberet, facultates omnes, honorem, sanguinem & vitam, ut eorum miseriis occurreret: corpus quoque suum in cibum dedit, ut eorum famem expleret: & sanguinem suum in potum, ut eorum siti satisfaceret. *Cordis munditiam* habuit eminentissimam, conseruans, se in grauissimis occasionebus, absque villo peccato, &
- potius

b Matt. 3.

G. r.

2.

3.

c Hebr. 5. 7.

d Luc. 22.

r. 4.

4.

5.

6.

potius occasionem ex eis accipiens ad præstantissimos virtutum actus exercendos. Fuit excellentissimè *Pacificus*, quia nos cum æterno suo patre pacificavit, veramque pacem nobis obtinuit, quam etiam erga eos retinuit, qui bellum ipsi gravissimum inferebant. *Passus* denique est propter *iustitiam* maximas persecutiones, quas vllus vnquam sit passus, idq; maxima patientia, quam vllus vnquam habuerit, ut propterea, iure optimo, omnia ei præmia debeantur, quæ in his omnibus virtutibus correspondent: eademq; promeritus est illis, qui ipsum in eisdem virtutibus imitarentur. O supreme magister, si te loquentem in primo illo monte audiuissem, cum de his virtutibus sermonem instituissem, & vidissem postea, dum in Caluario monte patiens, easdem exercebas! idem ipse eras, eundemque finem in utroque monte habebas, loquens & faciens, docens alios pati, dum ipse patereris. Concede mihi, Domine, gratiam, ut audiam, quæ me docuisti, & exerceam, quæ ipse exercuisti, meipsum his, quæ fecisti, & passus fuisti, tecum in omnibus conformando.

TERTIÒ easdem Christi Domini nostri virtutes, licet sigillatim considerare, mente ratiocinando; per singularum proprietates & gradus: & quoniam exempla in singulis ponere prolixum esset, obedientiæ tantum exemplum, quæ cæteras omnes complectitur, adhibebo; de ea enim dixit Apostolus,

Christum humiliasse semetipsum, factum obedientem c Phil. 2. 8.

7.

8.

III.

dientem vsque ad mortem, mortem autem crucis &, f *cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, quæ fuit heroica. PRIMVM* quia non solum in rebus facilibus & prosperis obediuit, sed in difficillimis & asperrimis, qualis erat mors crucis: & quæ illam præcesserunt. *DEINDE* etiam in rebus huiusmodi præstitit obedientiam integerrimam, nec iora quidem, aut apice relictis eorum omnium, quæ Prophetæ prædixissent, quod expendit S. Ioan. cum dixit, *g sciens IESVS quia omnia iam consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit, Satio.* Atq; si diceret S. Ioan. Ut impleretur adhuc vna pœna earum, quas Prophetæ prædixerant, & adhuc expleta non erat; quod scilicet porrecturi essent acetum, ad bibendum; cùm IESVS sitiret, dixit, *Satio.* *TERTIO* hæc obedientia & promptissima fuit & ad punctum, sine mora, sine replica, absque vllis excusationibus, ad omnia, quæ illi proponebantur: quamuis grauius & aspera essent, & ex parte iudicium & carnificum valdè iniusta. *QUARTO* fuit obedientia generalis & humilis, qua omni hominum generi scelestorum & impiorum sese subiecit: quia hanc sciebat esse patris sui voluntatem, iuxta illud, qd ipse apud Isaiam dixit, *h Dominus Deus aperuit mihi aurem, hoc est, obedire me iussit, ego autem non contradico, retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & cõspuentibus.* *DEINQVE* fuit obedientia cõstans & ad

& ad

& ad mortem vtque perseverans, prius volens vitam sibi finire, quàm ab obediendo desistere; & ita mortuus est obediens, & obediendo mortuus est, tota que hæc obedientia ex mero proveniebat amore, iuxta illud, quod ipsemet apud S. Ioan. dixit, *i vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. surgite, & ad patiendum eamus hinc.* i Ioan. 14. 31
 Gratias tibi, dulcissime Domine, ob exemplum heroicæ obedientiæ, quod nobis dedisti, vtinam ei similem haberem, fortem, integram, præoptam ad punctum, constantem, & ex amore provenientem: vt me ipsum amore tui subicerem omni humanæ creaturæ, vt mundus uniuersus cognosceret, quod te amem, tuaque mandata eo modo exequar, quo tu illa iubes. Propter tuam sanctissimam obedientiam peto hanc obedientiam, iube Deus meus, quod vis, modo hanc virtutem mihi tribuas; vt tibi in omnibus, quæ iusseris paream.

Hac ratione licet ratiocinari circa eiusdem Christi Domini humilitatem, paupertatem, silentium, modestiam, & reliquas virtutes.

PUNCTVM VII.

De septem locis, siue stationibus quas Christus Dominus tempore suæ passionis perambulauit.

VIA siue stationes quas Christ^o Domin^o à nocte suæ passionis, vsq; ad insequētē diem perambulauit, possunt ad 7. reduci, quò

quò in septem hebdomadæ diebus possint esse meditationis argumentum, quibus totus discursus Dominicæ passionis continetur. **P**RI-M A statio seu via fuit, cum à cœnaculo ad hortum Gethsemani cum suis discipulis abiit, ubi tristatus est, oravit, & sudavit sanguinem: **S**E C V N D A fuit ex orto, ubi fuit comprehensus, ad domum Annæ; ubi de doctrina & discipulis suis examinatus, alapam crudelē à quodam ministro accepit. **T**E R T I A fuit ad domum Caiphæ, ubi consputus & colaphisatus fuit, grauiissimasque alias iniurias & dolores, tota illa nocte sustinuit. **Q**U A R T A fuit ad domum Pilati præsidis, ubi fuit variis falsis testimoniis à Iudæis accusatus. **Q**U I N T A ad regis Herodis aulam, ubi fuit cum suo exercitu spretus. **S**E X T A fuit reditus ad Pilati domum, ubi fuit flagellatus, spinis coronatus, & aliis opprobriis affectus, & morti adiudicatus. **S**E P T I M A & vltima fuit, inde ad montem Caluarium, baiulans sibi crucem, cui ibi fuit affixus. Ob septem huiusmodi stationes, par esset exemplo Dauidis a *septies in die laudem, & gratias eidem Domino dicere super iudicia iustitia eius, & misericordiae, quæ in eis resplendet; immorando diutius, in consideratione eius, qui eas obit stationes; & finis, quem sibi præfixit: sociorum, quos secum habuit, locique, ex quo exit: modi ambulandi, loci ite, in quo sitit: rerum, quas loquitur, facit, & patitur, eum ex omnibus spiritum & vtilitatem hauriendo, in quam omnia ab ipso Christo dirigebantur.*

a Psal. 118.
164.

IN ipſius Chriſti Domini *perſona*, confi-
 randa eſt iuſſinita eius dignitas, vt ſupra dixi-
 mus; & expendendi ipſius grefſus & affectus
 ſpiritus, quos externis grefſibus adiungebat,
 eos ad æterni patris gloriam ordinando, & ad
 pro noſtris peccatis ſatisfaciendum. Et fortè
 ſeptem fuerunt illæ ſtationes, in pœnam ini-
 quorum grefſuum, quos in ſeptem capitalibus
 peccatis nos ambulauimus; & ad confringen-
 dam *b draconis magni & ruſi ſuperbiam habentiu
 capita ſeptem*; qui ſua tyrannide mundum
 occupabat; & ad domandam hominum huius
 ſæculi ſuperbiam & rebellionem; nobis verò
 dandum exemplum humilitatis & patientiæ,
 iuxta illud, quod ſcriptum eſt, *c contriti ſunt
 montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi, ab
 itineribus æternitatis eius*. Quasi diceret, ſu-
 perba & elata corda, rebelles ac proteruæ
 mentes, ſeſe humiliarunt ac ſubiecerunt, pro-
 pter ſtationes & itinera, quæ æternus hic Do-
 minus ambulauit, ita ab ipſo in eum finem ab
 æterno diſpoſita. O Deus æternæ & ſaluator
 noſter, *d agnus*, qui pro nobis *occiſus eſ ab ori-
 gine mundi*, clarifica animæ meæ oculos, vt
 hæc itinera, grefſusq; tuos ob noſtram redem-
 ptionem ira conſiderem, vt finem, in quem tu
 eos direxiſti, conſequi valeam. Propter illos
 quaſo Domine ignoſce & *e dirige grefſus meos*,
*ſecundum eloquium tuum, & non dominetur
 mei omnis iniuſtitia*. O pater æternæ, qui *ſ gref-
 ſu hominum diſnumerat*, tam iniquorum, vt eos
 caſtiges, quàm piorum, vt præmiis afficias,

b Apol. 12. 3.

c Hab. 3. 6.

d Apoc. 13. 3.

e Pſal. 118.

f Iob 14. 16.

reipice gressus dilecti filij tui, propter quos supplico, vt meos ita dirigas vt sint illis omnino conformes. Amen.

II.

QVOD attinet ad *socios & comites* Christi Domini in his stationibus, oportet considerare, interdum fuisse cum suis discipulis, instar pastoris in medio ouium suarum, & ita primam peregit stationem à cœnaculo ad hortum, eos consolans, & ad vigilandum & orandum exhortans; & à lupis, qui eos persequi & lacere conabantur eos defendens. Sed in aliis stationibus fuit sicut ouis inter lupos, & agnus inter leones ac tigrides, ita ipse à suis inimicis circumdatus incedebat; qui ingenti crudelitate ac feritate, eum mordebant, & lacerabant iniuriis, opprobriis, doloribus, & cruciatibus eum affligentes, & ligatis manibus, tanquam ouem, quæ ad occisionem ducitur, nec aperit os suum, vt conqueratur, eum ducetes. Impleuit hic in seipso, quod suis discipulis euenturum prædixerat *ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* h. Estote ergo prudentes, sicut serpentes & simplices, sicut columba: nã in huiusmodi itineribus, siue stationibus; etiã si persecutiones & calumniæ, inimicorumq; astutię essent horrendæ, semper tamen se tanquam agnum mansuetum habuit, nulla vnquam adhibita resistentia; sed syncerum, purumq;, sicut columbam seipsum seruauit, nunquam illos offendendo: sed prudentem etiam super omnes serpentes se ostendit, quia nunquam ab illis victus fuit aut deceptus, potius admiranda

fua

g Mat. 10. 16

h Luc. 10. 3.

sua sapientia illos confundebat, nunc tacendo, nunc loquendo, prout magis expediebat.

III.

QVOD ad loca attinet, vnde exibat, & ad modum, quo ambulabat, ac denique ad terminum harum stationum, perpendendum est, omnia loca fuisse illi afflictionis & doloris, ab vno ad alterum ita progrediendo, vt qui sequebantur, seipsum semper essent prioribus atrociores, à minori tribulatione ad maiorem ascendendo; & omnes gressus erant admodum celeres & festini, tum ob suorum inimicorum feritatem qui illum ad id vrgebant: tum ob amoris magnitudinem, quo ipse festinare cupiebat vt eò citius nostram expediret redemptionem ita vt liceat illud hic de eo vsurpare, quod dixit sponsa, *g ecce iste venit saliens in montibus,* *g Cant. 2. 3.* *transiliens colles:* montes enim & colles sunt tribunalia & palatia Pontificum præsidum & Regum, in quibus non hic Dominus morabatur, vt eas consolationes acciperet, quibus mundani homines in eis fruuntur: sed magna festinatione, tanquam ceruus, quem canes insequuntur, singula illa loca pertransibat, morsus, vulnera, & cruciatus in singulis sustinens, donec in Caluario monte vltimo eum apprehendentes in cruce luxatum occiderunt.

IV.

DENIQUE in singulis his locis spiritualia aliqua tabernacula ædificabo, sicut S. Petrus in monte Tabor cupiuit ædificare, vt in eis cum Christo Domino doloribus transfigurato, liceat commorari; perpendens figillatim, quæ in singulis loquitur, facit ac patitur

mei caula. PRIMVM tabernaculum ædificabo in horto Gethsemani, & in eo commorabor cum ipso Christo contristato & afflicto, vigilans & orans cum eo, audiens, quæ cum æterno suo patre, & suis discipulis colloquitur; illud item, quod ipse dixit Angelus, cum eum confortaret, & quod ipse illi respondit; & inspiciens pugnam, quam intra seipsum sentiebat, & sanguineum sudorem, quem à se dimittebat, & gressus eius, siue discedentis à suis Apostolis, vt solus pro se & pro eis oraret; siue ad eosdem redeuntis, vt illos ad orandum excitaret. PETAM verò, nunc tanquam discipulus à magistro, vt me doceat orare ac vigilare, nunc verò eundem, tanquam amicus, aut fidelis seruus, consolabor in eius tribulationibus, compatiens illi tribulato, & comitans illum in ea desertione. In hoc eodem tabernaculo aspiciam, qua ratione suis inimicis occurrat, quæ illis verba dicat, quæ miracula in eisdem edat, quos cruciatus ab eis recipiat, dum ab eis comprehenditur, calcatur, & manus eius ligantur. Quæ omnia licet valde festinanter sint facta, illa tamen ego non festinanter pertransibo, sed tam diu in hoc tabernaculo & statione hærebo, donec anima mea sibi satisfecerit, & fuerit edocta ac permota ad amorem & imitationem eius, quod in suo Domino ibi videt. *Hoc totum deducemus ex illis, quæ in huius mysterij meditatione dicuntur, & in hunc modum in reliquis quoque stationibus progrediemur.*

PUNCTVM VIII.

De doloribus, quos beatissima Virgo in filij sui passione sustinuit.

In eisdem passionis Christi mysteriis, perpendēdi etiam sunt dolores & afflictiones SS. Virg. matris eius, & Dominae nostrae: ut eidem etiam ob multa, quae passa est, compatiamur; & eius quoque filio ob ea, quae & ipse passus est, eorum intuitu, quae gloriosa eius mater patiebatur: & quandoquidem etiam illa est mater nostra, nostraque peccata, ipsius dolorum causa fuerunt, par est, ut & nos illos sentiamus, & ad imitandas excellentes virtutes, quas ipsa in illis manifestavit, nos ipsos excitemus. Horum dolorum magnitudo, ex duplici radice praecipue cognosci potest; prima est ingens ille amor, quo filium suum Dominum nostrum prosequabatur: ad mensuram enim amoris, sequitur vel gaudium de bonis & prosperitate rei dilectae, vel dolor de malis & aduersitate, quibus eadem res amata afficitur. Amor autē hic & dolor, in beatissima virgine, vehementissimi fuerunt, ob varias causas.

PRIMA causa est, quia Christus Dominus noster, erat naturalis eius filius, quem tenerrimi ac purissimi dilectione amabat, quam omnes matres & parentes huius mundi, unquam suos filios dilexerint. nam sola illa fuit mater suae patre, ideoque totus amor patris, ac matris,

I.

in solam ipsam simul se recepit. Et ut huius filij conceptio fuit singularis, opera scilicet Spiritus S. qui est amor: ita amor eius fuit singularis, sic & dolor, quem in eius morte sensit, ita fuit singularis, ut potuerit dicere, *a* **Thren. 1. 12.** *a* **vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte. si est dolor sicut dolor meus.**

II.

HVC accedebat, quod idem filius, & primogenitus esset & vnicus; cuius vita charior esse solet, & mors plurimū adfert doloris. Quare cū scriptura plāctum rei alicuius extollere & exaggerare vult, luctū & plāctum vnigeniti appellare consuevit, *b* **plangent**, inquit apud *b* **Zach. 12. 10.** *b* **Zach. eum plāctū, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.** Quantum itaque plāctum par est credere sacratissimam Virginē fecisse, in morte sui huius vnigeniti, qui simul etiam erat vnigenitus Dei, cū illum videret, adeo ignominiosè, & tot cruciatibus cruci affixum.

III.

TER TIO amplius creuit adhuc amor Virg. in filium suum, ob magnam mutuam inter se *c* **Eccl. 13. 19.** *c* **omne animal, inquit Sap. diligit simile sibi, & omnis homo proximū sibi,** ideoque solent parentes eum præ cæteris filium diligere, qui ipsis est maximè similis. Cū itaque Virgo sanctissima & filius, valdè sibi invicem similes essent, in constitutione corporis & conditione, in moribus & virtutibus; erant quasi vnum quid in omnibus: ideoque dolor, quo alter transfigebatur, cor alterius etiam transfigebat.

QVARTA ratio, cur beatissima Virgo, filium suum amaret, fuit sanctitatis & sapientiae filij magnitudo: charitas enim, cum est bene ordinata, plus diligit sanctiores, & eos, qui sunt proximiores Deo: quod si huic causae accedat, quod iidem sint quoque nobis sanguine coniunctiores, crescit plurimum talis amor quia coniungitur gratia cum natura: ut ille perfectior euadat: pari autem passu crescit & dolor, si conspiciatur, qui sanctissimus est, aliquid pati: nam credimus illum absque culpa pati, accrescit nostra poena. Quod si *mulieres & filiae Ierusalem plangebant & lamentabantur*, cum viderent Christum patientem, quem innocentem iudicabant, quanto amplius amariorque haec Virgo fleuisse credenda est, quae eundem sciebat esse sanctum sanctorum, & fontem totius sanctitatis?

QVINTA causa fuit, quod eundem filium suum, agnosceret suum benefactorem infinitum, à quo innumera & excellentissima beneficia recepisset, & in illis illud summum, quod ipsam in suam matrem elegerat: & quoniam amor est alias gratus, desiderat infinita bona suo benefactori, ut quod in se est rependat ea, quae ab illo accepit. Quanta igitur poena affecta fuerit beatissima Virgo, cum videret aded horrenda mala perpeti eum, cui infinita bona euenire cupiebat?

SEXTA huius amoris causa fuit, quod cum eius esset filius, simul etiam erat filius

IV.

S. Thom. 2.
2. q. 26. a. 7.
C. 13.

d Luc. 23. 27

V.

VI.

e Luc. 10. 27

Dei viui, Deique ipse infinitus ideoque dignissimus, qui ob suam bonitatem, & pulchritudinem infinitam, amore infinito diligere-
tur: & quoniam ipsa virgo, magna luce illustrata, agnoscebat infinitam hanc filij sui excellentiam e *ex toto corde suo & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis illum diligebat*, nihil subtrahens de summo amore, quem illi poterat offerre: & iuxta hanc amoris mensuram, creuit & dolor; ut esset ille etiam ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis; quod aded contemptum & despectum videret eum, qui nominibus infinitis honorari, & amari merebatur.

VII.

f Rom. 5. 5.

g 1. Cor. 6. 17

DENIQUE, f *Spiritus S. diffuderat in eius corde charitatem Dei*, coniungendo illam sibi eo vnitionis amore, ut g *vnus spiritus esset cū Deo*, & cum filio suo. Ex quo proueniebat, ut & prospera & aduersa eius, ut propria reputaret, multoq; amplius de filij doloribus doleret, q̄ si ipsa eosdem sustineret, quia plus illū, quam seipsam amabat: & quoniam vi tanti huius amoris extra se exiens, transibat ad cor filij sui; q̄ ille patiebatur, patiebatur & ipsa, & sentiebat in se, quod cernebat sentire filium, ut melius multo quàm Apost. dicere posset, h *Christo affixa sum cruci, viuo autem iam non ego, uiuit verò in me Christus*, & ego in Christo.

h Gal. 2. 19

CVM amoris huius magnitudine, coniungebatur secunda radix doloris, quæ est viua illa apprehensio, quã habebat de dolorib. filij sui, cum circumstantiis omnibus, quas retulimus:

lege-

legerat enim diuinas scripturas, quæ illos referabant, quos etiam cælesti luce penetrauerat; cumque præsens adesset, non solum expēdebat quod exterius apparebat; sed ad interiora penetrans, ad eam viam sibi repræsentationē formabat, ut se in imaginem eius, quod filius patiebatur, trāsformaret. Hic fuit *gladius* ille *Luc. 2. 35.* bis acutus, exacutus cognitione & amore, qui *pertransiuit*, iuxta Simeonis prophetiam, non corpus, sed *animam* huius purissimæ virginis, & hoc modo etiam ipsa *kibit calicem* passionis, quem Christus Dominus obtulit filijs *Zebedæi*, fuitque baptizata baptismo poenarum, & submersa in amaro tribulationum mari, ita ut merito de ea dici possit illud Ieremi. *1. m. 17.* *Thre. 2. 13.* *gna est velut mare contritio tua, & afflictionis tuæ amaritudo.* O suprema virgo, quis enarrare poterit amaritudinem illam, quam septem prædictis amoris & doloris causis sensisti, quæ instar septem gladiorum cor tuum transuerberarunt! liberum tibi est in hac occasione illud usurpare, in *Ne vocetis me Noemi, (id est pulchram) sed vocate me Marah, (id est amarā) quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Magno fauore te persecutus est omnipotens, in die suæ in te incarnationis; sed magnam etiā afflictionem idem omnipotens tibi attulit, in die suæ passionis. Siquidem afflictiones, quas ipse mittit, fauores & gratiæ reputantur, ora eundem omnipotentem, suam ut potentiam in me ostendat; sensum communicando eius, quod ipse passus est; & gratiam,

ad eundem in eo ipso imitandum. Amen.

*In Stimulo
diuini amo-
ris c. 2.*

Ex his considerationibus deducere licet, altissimam dispositionem, ad intimè sentiendum dolores & pœnas passionis Christi Domini nostri, esse amorem, qui (vt ait S. Bonaventura) quo erit magis accensus, eò dolor & compassio erit maior; qua compassione & ipse amor augetur. Quare ex prædictis septem causis eas seligam, quæ magis conferunt, ad conquirendum feruentem hunc amorem; & cum ipso Christo coniunctionem, ob quam partem me faciat dolorum suorum, eorumque donorum, quæ ex pretiosa eius imitatione proueniunt.

PUNCTVM IX.

De heroicis virtutibus, quas Virgo sanctissima in filij sui passione exercuit.

VLTIMÒ considerandæ sunt insignes virtutes, quas beatissima Virgo hac occasione exercuit, vt illâ imitemur: præcipuæ autem fuerunt quatuor, in quibus multæ aliæ continentur.

I. PRIMA fuit altissima propriae voluntatis, in Diuinam volûtatem RESIGNATIO, qua suam naturalem abnegauit, vt cum diuina conformaret, dicens idem quod filius eius dixit, *a non quod ego volo, sed quod tu vis. fiat;* quæ resignatio eò magis heroica est censenda, quò sunt grauiores labores, ad quos tolerandos illâ nos offerimus.

*a Marc. 14.
36.*

SECVN-

SECUNDA fuit profundissima HVMILITAS, qua non se subtraxit opprobrijs, sed ea potius est aggressa & complexa, gaudens manifestare se matrem eius esse, qui tot opprobrijs, ita publicè afficiebatur: & participem se eorum facere, quantum licebat; & hac humilitate adstabat ad crucem filij sui; ad suas quoque rationes ponens filij sui passionem & mortem: nam etsi illa peccata non habuit, propter quæ Christus moreretur, mortuus tamen est, ut ab eis illam præseruaret.

II.

TERTIA fuit insignis FORTITUDO & MAGNANIMITAS, qua ad ipsam Christi crucem appropinquans, stetit iuxta illam, nec persecutorum crudelitate, nec dolorum acerbitate, quos hoc nomine tolerabat, potuit à filij sui præsentia dimoueri, ipsa potius optante, augeri sibi occasionem patiendi, & vitam pro eo exponendi, qui tanta pro ipsa patiebatur.

III.

QUARTA fuit inflammatissima CHARITAS, & amor hominum, etiam inimicorum filij sui, quam neque eorum blasphemiarum, nec crudelitates ad indignationem permouebant, sed potius ad compassionem & dolorem, ob peccata quæ faciebant; & poenam cuius propter ea se reos constituiebant: orabat autem Deum pro illis, eos excusans, sicut & ipse eius filius, ut suo loco dicetur. Hac ratione coniunxit Virgo beatissima, cum acerbissimis afflictionibus, admiranda virtutum exercitamenta, ut merito dicere nunc poterit illud

IV.

Can

b Can. 1. 5.

Caaticorum, b *nigra sum, sed formosa, filie Hierusalem; nec miremini, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Verè nigra es virgo sanctissima, in externis, ob poenas quas sustines; sed intus pulcherrima, ob virtutes, quas exeres: sol iustitiæ te decoloravit, quia eius moeres: tuorū sunt causa, idemq; ipse pulchram te reddit: quia eius exemplo, tuum exemplum, quo eius virtutes imitaris, magis resplendet: supplica ergò illi, mater piissima, ut inflammet; ut ita ipsius poenas doloresque mediter, ut eiusdem virtutes imitans, dolorum eius fiam particeps, Amen.

Ex iis, quæ in prædictis nouem punctis dicta sunt, manent in genere res illæ declaratæ, quæ in singulis Passionis mysterijs, magis in particulari sunt perpendendæ, tam in persona ipsius Christi Domini, quàm Sanctissimæ Virginis eius matris, accipiendo vtrumque pro argumento siue materia præcipua Meditationis & Imitationis; matrem verò ipsam in aduocatam, ad obtinendum verum sensum eius, quod filius patitur. Horum

*omnium praxis in subsequen-
tibus meditationibus
proponetur.*

